Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Dissertatio Philologico-Theologica De Libamine Oblato In Mensa Sacra, Exod. XXV. 29.

Herbornae Nassaviorum: Typis B. Johannis Nicolai Andreae Acad. Typogr. Viduae, [1732?]

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn863023312

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn863023312/phys_0001
DFG

94

Fa-1092(94.)

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn863023312/phys_0002
DFG

DISSERTATIO
PHILOLOGICO - THEOLOGICA
DE
LIBAMINE OBLATO IN MENSA SACRA
EXOD. XXV. 29.

QUAM

PRAESES

JOH. EBERHARDUS RAU
SS. THEOL. PROFESSOR ORDINARIUS
BEROL. ACAD. SCIENT. SODALIS
H. T. ATHENAEI NASSAVICI RECTOR

AD DIEM XV. MARTII A. MDCCXXXII.

PUBLICE VENTILANDAM PROPOSUIT

RESPONDENTE

DANIELE CHRISTIANO HAMELIO
HERBORNENSI.

45.

HERBORNAE NASSAVIORUM
TYPIS B. JOHANNIS NICOLAI ANDREAE
ACAD. TYPOGR. VIDUAE.

45
4

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn863023312/phys_0005
DFG

ANNEXA RESPONDENTIS.

I.

IDeae rerum possibilium Deo sunt naturales, nec pendent ab ejus decreto vel arbitrio.

II.

Deus sapientissime hominem labilem producendi consilium capere potuit.

III.

Decreta Deo alio respectu sunt coaeterna, alio non item.

IV.

Pro animae immortalitate firmissimum argumentum est, quod petitur a desiderio summi boni, quod in hominis voluntate est.

V.

Concursus Dei ad liberas actiones creaturarum rationalium non generalis, sed specialis est.

VI.

Deus rebus praesens esse nequit, nisi convenien-

nienter naturae suae, videlicet per intellectum, intime eas cognoscendo, & per voluntatem, efficaciter in eis operando.

VII.

Non ergo ejus essentia in coelo includi, eique operatio in distans, quae fiat per virtutem, providentiam & favorem ejus, adscribi debet.

VIII.

Cum Dei bonitate non pugnat decernere mala quaedam tristia, ita ut Deus neminem punire possit, ut POIRETUS existimavit.

IX.

A linea aberrare videntur, qui leges Naturae ex *Socialitate*, seu *Societatis appetitae custodia* derivant.

X.

Ut disputandi materia abundet, Celeb. LAMPII *Compendium Theologiae Naturalis*, tanquam cum ratione seu conscientia hominis conveniens, defendimus: paucis exceptis, quae monebimus in conflictu.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn863023312/phys_0008
DFG

DISSERTATIO DE LIBAMINE OBLATO IN MENSA SACRA.

PARS PRIOR.

De iis, quae in mensa destituenda erant, speciatim de vasis & vino his libato.

QUum Deus Dominus populum Israëliticum, ab Ægyptiorum tyrannide recens in libertatem vindicatum, colere sese impensius adstrictiusque, & cultus externi apparatu multiplici cum exercere ipsos atque abstrahere a vicinarum gentium superstitione, tum, quod caput rei est, illustriorum bonorum gratiae adversum ipsos suae jam ante Patribus promissae edere documenta & ὑποδείγματα, eoque Tabernaculum, portabilem aedem, Templi utriusque posthac aedificandi deformationem quandam, cujus archetypum in montanis Sinaiticis Mosi monstraverat, sibi exstrui atque dedicari vellet, eidem Mosi in mandatis dedit, ut in antica ejus aedis parte, praeter arulam adolendo suffitui aptam & lychnuchum, ad boream collocaret mensam a Bezaleele artifice fabricandam. Hujus mensae, quemadmodum reliquo- *Structura mensae sacrae.*

liquorum istius aedis instrumentorum, multa cum cura primum nominat materiam, porro designat figuram ac dimensionem, tum ejus docet supellectilem & vasa, usum denique. Facta erat ex ligno optimo, auro obducta, longa cubitos duos lata unum, itemque alta unum cum dimidio: ornata in summo proxime infra tabulam, & in medio, praeter zophorum, corona gemina mensam cingente: quatuor pedibus innixa, quibus adfixi totidem annuli, & per hos trajiciendi utrinque vectes duo mensae portandae aptati erant Exod. XXV. Tum mensae ad eum modum constructae imponi jubet placentas e simila duodecim, duobus ordinibus, senas in ordinem quemque, dispositas, לחם פנים, quod in Dei sanctissimum locum inhabantis conspectu essent (Exod. XXV. 30.) crebro appellatas: thus quoque mundum in odoramentum (לאזכרה) quod igne absumatur in honorem Domini Levit. XXIV. 7.

Lex de vasis & apparatu ejus.

II. Et haec quidem extra controversiam posita clara satis & perspicua sunt ex dictione Mosaica. Contra scrupulum non mediocrem injiciunt, quae mensae imponendis rebus sacris destinata Deus Mosi facienda praescribit vasa & supellectilem, Exod. XXV. 29. ועשית קערותיו וכפותיו וקשותיו ומנקיותיו אשר יסך בהן זהב טהור תעשה אותם: *Praeterea facies* קערות & כפות & מנקיות *ejus* (mensae) *quibus libabitur; ex auro*, inquam, *puro facies illas.* Atque iisdem verbis, sed paulo transpositis, nec eundem per omnia sensum fundentibus, iterum eodem libro Moses cap. XXXVII. 16. ויעש את הכלים אשר על השלחן את קערותיו ואת כפותיו ואת מנקיותיו ואת הקשות אשר יסך בהן זהב טהור: *Fecit quoque* (Bezaleel) *instrumenta, quae imponerentur mensae,* קערות, כפות, & מנקיות *ejus, tum* קשות *quibus libaretur, ex auro puro.* His gemina habentur Num. IV. 7. quando castris per solitudinem movendis atque una cum his Tabernaculo, genti Aaronicae sua circa sacratissima vasa distribuuntur munia: *Super mensam expandunto vestem hyacinthinam: impositis ei* קערות

קשורת הנסך , מנקיות , כפורת , קערות denique
Kasoth *libaminis* ; *panis jugis quoque super eam esto.*

III. Quatuor hic nuncupari vasa ad sacrae mensae usum facta ex verborum sono intelligitur. Quae mirum quantum sacri legum codicis interpretes, maxime novissimos, non torsissent atque etiamnum torquerent, nisi nodum, quod ajunt, in scirpo quaesissent : nisi secum committere Mosen sui ipsius interpretem, minus quam Judaeorum Magistris, multa saepe imperite molientibus, veteresque ritus Mosaicos e novissimis Pharisaicis Templi secundi metientibus, aures substringere, nescio qua oscitatione ac imprudentia, voluissent. Quid enim ille *laïc* כפורת sibi velit, est qui haesitet nemo, nisi qui vascula concava, *acerras* thuri ferendo & adolendo aptas (Judaei בוזכי לבונה vocant) hoc designari vocabulo ignoret. Itaque una cum panibus odorem adferri sibi in mensam hactenus Deus flagitat, de quo Levit. XXIV. 7. Quid deinde vero ? *Facies in usum mensae* קערות inquit. Quae vox secus intellecta dici non potest, quam amplam errorum segetem protulerit, quum in construendo adornandoque reliquo istius mensae apparatu desudarent viri docti. Lances sive vascula planiora fuisse, quibus acerrae thuris imponerentur, sunt qui existiment. † Alii aliter. Judaei, praeeunte Raf Kattina in Gemara Menachoth fol. 97. 1. nec non auctore libri Siphra fol. m. 52. col. 4. formas aureas טופסין, *lumbos*, interpretantur, quibus panes in furno cocti pridie sabbati impositi fuissent, donec in mensa collocarentur, sed remotis formis. Malim ego Mosen loquentem exaudire Num. VII. ubi statuto consecratoque Tabernaculo donaria enumerat Israelitarum principum, atque horum singulos קערת כסף אחת *scutulam* sive *patinam* argenteam, sexaginta uncias gravem, plenam simila, secum adtulisse ait, ut donarium farreum singularum victimarum hinc offerretur. Adde quod

Quid קערות *quid* כפורת *in antecessum disquiritur.*

† HADRIANUS RELANDUS Antiq. Sacr. Part. I. cap. 5. §. 14. & de Spol. Titian. cap. II.

Chaldaeus קערות reddat voce מגיסיא quae vasa ampla sonat, qualibus victimarum ablegmina deferebantur ad altare, ut est in Joma VI. 7. & in Pesachim V. 5. Samaritanus exponit צחוחא (צעין) nomine Gemaristis *scutulas cibarias* significante. Sic in Megilla fol. 7. 2. Abai quidam: קריבו לי שיתין צעי רשיתין מיני קדירה *Apposuerunt mihi 60. scutulas totidem diversorum ciborum &c.* Scholiastes: צעי קערות של מיני מאכל. Suffragantur Graeci LXX. Viri, qui dicuntur, pro קערות reponentes τρυβλία. Est vero τρυβλίον similiter vas escarium, *catinus*, sive *lanx*, in qua cibi mensae imponebantur. Videatur Jul. Pollux, diligentissimus harum rerum scriptor, Onomast. Lib. X. capite 23. quod περὶ ἐμπέζης καὶ τῶν ταύτης σκίων inscripsit. Non ergo pro acerris id genus in thuris usum, vel ad coquendos panes, fabrefactas patinas, sed cum distincta ab acerris atque aliis quibuslibet mensae ornamentis peculiaribus usibus adhibitis & mensae imposita vasa legantur (אשר על השלחן Exod. XXXVII. 16.) tantique ponderis & capacitatis essent, neque minus profundae (quae nominis Arabibus quam Hebraeis tritioris potestas est) panibus mensae imponendis destinatas, quis non videt? Quanquam & probabile est, alias praesto fuisse consimiles patinas, minimum duas, quibus panes duobus ordinibus dispositi & per septem dies in mensa collocati pridie sabbati in atrium deferrentur ab sacerdotibus comedendi. Suadet hoc praeterea vasorum materia, quae aurea erat & Tabernaculi tantum non propria; cum cetera, quorum usus fuit ad coquendum & similes operas in atrio, ex ære viliore metallo essent, Exod. XXVII. 3. XXXVIII. 3.

Institutio & tractationis partitio.

IV. Mirari autem vix satis possum, quod cum Moses usum vasorum, de quibus modo dictum est, utpote popularibus & linguae gnaris sat cognitum & exploratum, declarare otiosum putet, ex adverso duo reliqua קשות & מנקיות exserris verbis sic describat, ut de illorum usu dubitari non possit, tamen homines sacri idiomatis rituumque

que & ceremoniarum Mosaicarum peritissimi a genuino verborum sensu aberraverint, quibus nihil evidentius, nihil simplicius, ad sacram mensam epulumque nihil accommodatius dici poterat.

Animus est igitur dissertando hoc agere, ut praeter panem & thus, quibus mensam onustam diximus, vino super ea libatum sibi voluisse Dominum, quoad ejus fieri potest, e firmissimis atque ab ultima antiquitate repetitis rerum argumentis colligatur. PARS PRIMA.

Quo quidem demonstrato via magis expedita, facem praeferentibus sanctis Dei hominibus, in mysterium ejus rei excurrendi nobis atque una iis, quibus haec sacra altius rimari atque eruere cordi est, campus amplissimus erit. PARS ALTERA.

Primum eorum, quae ordine sese nobis considerandа objiciunt, sunt *Nomina* vasorum modo nuncupata. 2. *Materia.* 3. *Forma & capacitas.* 4. *Situs.* 5. *Numerus.* 6. *Usus* denique. Tum vero singula, ubi opus est, ab objectionibus Christianorum Judaeorumve vindicabimus.

V. Nimirum Mosi sermo est de duplici vasorum genere, uno קשורת *Kasoth*, sive, ut alibi absolute posita vox legitur, *Kesavoth*, מנקיות *Menakkioth* altero. Illud, tametsi singulari, quod ajunt Grammatici, numero in Hebraeo non exstet, flexum est a nomine קשרת *Kasah*, aut קשורת *Kasvah*: unde pluralem קשורת *Kasoth* aut *Kesavoth* facere Hebraei amant: Rabbini etiam קשוואות *Kasvaoth*. Hoc ejusdem generis terminationem agnoscit, estque ἀναλογος מנקיות. Illud ἔλυμον habet קשרת cum *Sin* scriptum, Hebraeis tamen obsoletum ac deperditum; sed quod, ut alia multa, formam permutat cum verbis cognatis קוש vel קיש *comparandi* rem cum re, adeoque *mensurandi* actum connotantibus atque Arabum ore hodieque frequentatis. Hinc sane קכוורת *Kasvah* (כלי שרת *vas sacri ministerii* Talmud. Babyl. Sanhedr. fol. 81. 2. appellata) Hieros. Sanhedr. fol. 27. 2. קיסטא exponitur, quae est mensura liquidorum, *trulla*, sive *urceus*, Graece ξέστης, de *Etymologia vocum* קשורת & מנקיות.

de quo Marc. VII. 4. Istud quod ad formam est à נקה verbo notione propria & primaria dicente *vacuitatem* in subjecto; unde peculiariter ad mores culpa vacantes transfertur. Significatum tamen apertius ac magis proprie mutuatur ab Syrorum ܢܩܐ. Equidem Syrus interpres Hebraeum נסך quod *libamen* est, reddit voce ܢܘܩܝܐ Levit. XXIII. 14. 18. 37. alibi. Sic 2. Timoth. IV. 6. ܐܢܐ ܡܬܢܩܐ ܐܢܐ Ἐγὼ σπένδομαι. Atque insuper tanquam ἰσοδυναμοῦντα convertit ܡܢܝܩܝܬܐ & מנקיות q. d. *vasa libatoria*.

Quam stabiliunt Iudaei Interpretes & Scriptores antiquissimi.

VI. Habemus de etymologia vocum; unde, cujusmodi vasa illa fuerint, haud obscure intelligitur. Accedat secunda scriptorum vetustissimorum maximæque, si qui sunt in hoc genere, auctoritatis suffragatio: qui vel orationem Mosaicam vernaculi idiomatis civitate donarunt, Graeci Alexandrini Interpretes, & Chaldaei, Onkelosus, Jonathan Uzielides, tum Hierosolymitanae, quae dicitur, Paraphraseos auctor, nec non Samaritanus: vel de suae gentis ceremoniis ritibusque sacris, sive ex professo sive aliud agentes, aliquid memoriae prodidere, Maccabaicorum scriptor, Philo, Josephus, auctores gravissimi. Vasa illi nominant diversi generis; sed οἰνόσπονδα ac libatoriis usibus adhibita uno omnes ore concinunt; quemadmodum in progressu commonstratum ibimus.

Vasorum materia.

VII. Materia horum vasorum, nec non catinorum acerrarumque, de quibus supra, erat aurea, ex auro puro זהב טהור. Non quod pars aurea una, altera argentea vel aerea non sit, sed quod aurum optimum, id est, a scoriis prope repurgatum atque adeo adprime coruscum oportuit. Nam cum altare exterius ejusque apparatus, atque etiam labrum, ex ære viliore materia essent, contra non tantum tota aedes duobus spatiis distincta auro rutilabat magnifice; sed & universa, quae intus erant,

ejus

ejus aedis utensilia ex optimo metallorum genere cudi, aut certe obduci illo : instrumenta autem, quibus sacræ res vel apprehenderentur vel continerentur, fieri ex eodem ære præstantissimo Deus voluit : consulturus haud dubie summo & plusquam regio honori suo majestatique, quo major foret loci, augustum Numinis praesentiam spirantis, reverentia.

VIII. Vasa concava fuisse, ut liquorem caperent, res ipsa loquitur, & facile cum usus eorum arguit, de quo infra, tum ex aliis id genus vasis, qualia ad libandum in altari exteriore adhibebantur, cognosci potest. Ita Rabbi Jehuda in Gemara Succa fol. 48. 2. de libatione in festo Tabernaculorum facta ad illud altare : שני קשוואות היו שם אחד של מים ואחד של יין של יין פיה רחב של מים פיה קצר כדי שיהו שניהם כלין בבת אחד *Duæ* קשוואות sive *trullæ aderant : una ad vini, altera ad aquae usum ; illa amplo orificio, haec angusto, sic ut ambae caperent bathum unum.* Num tamen ansis instructa fuerint singula aut alterutra eorum, certo affirmari nequit. Nec hoc ex Arcu Titiano Romæ conspicuo solide efficitur, quamvis vas alterutrum super mensa sculptum ansatum esse videatur ; nisi constet acerram vas alterum, quod ibidem cernitur, ansis destitutum. Tentemus vero, num certi quidquam de horumce vasorum forma & capacitate in tam cana & crepera antiquitate reperire detur. Et קשות aut mavis קשוואות quidem, cum vinum continerent, amplo orificio fuisse, modo ex R. Jehuda teste locuplete audivimus. Erat urceorum genus Judaeis perquam usitatum ac tantum non domesticum: ut vel hinc Chaldaei Interpretes maluerint ipsum illorum nomen retinere, quam aliud ignotius aut aeque cognitum substituere. Nec abludit Samaritana versio, quae קשות exponit per [illegible] (ביסיאתה). Est vero ביסא Talmudicis כלי שרת שבו בוללין (R. Nathan in Aruch legit מקדשין) מנחה Menach. fol. 7. 1. Et βῆσαν esse *poculum superius latum, inferius angustum*. ex Eusta-

Forma & capacitas

1. τῶν קשות.

Eustathio Homeri scholiaste probat Henricus Stephanus. Capacitas ex eo intelligitur, quod ut paulo ante dictum, cum קיסטא mensura liquidorum tunc Judaeis notissima confertur in Talmude Hierosolymitano. קיסטא autem usurpat Jonathan Levit. XIX. 36. pro ea mensura, quae הין Hebraeis, & 12. Logos, sive 72. ova capiebat, ex Judaeorum computo. Hinc certe David de Pomis *vas magnum* interpretatur, *ad vinum in eo condendum.* Quae si recte habent, vasaque repleta sunt ad summitatem usque, consequitur alterum tantum vini in mensam collatum, quantum ad ullam vel maximam victimam in atrio faciendam. Graeci Septuaginta pro קשורת substituunt σπονδεῖα, suntque *libatorii calices*, οἷς τὸν οἶνον ἐπισπένδουσι, *quibus vinum libantes infundunt*, Jul. Pollux Onomast. X. 18.

2. Τῶν מנקיות

IX. Alterum vasorum genus sunt מנקיות; Samaritano 𐤊𐤎𐤉𐤀 (כסיא) *calices*: Alexandrinis κύαθοι, *cyathi.* Est autem κύαθος vas vinarium sive poculum, ὅλῳ ὁ οἶνος ἀρύεται *quo vinum hauritur*, ut idem Pollux Onomast. VI. 2. duodecima pars sextarii, quem homini sano justam mensuram veteres statuerunt in epulationes singulas. Tantum vini capiebant, quantum quis uno hausto leviſſime exhauriat. Et aliquando ad triclinia mensae imponebantur cum cratere. Casaubonus in Athenaeum VIII. 9. *Crater ingens vas vinarium in media mensa supra machinulam incitegam destituebatur: ex eo cyathis vinum emiscebant, id est, hauriebant.* Vas omnium minimum fuisse pro hauriendo vino, cetera gradatim majora, ex Philone discimus, libro de Temulentia p. m. 272. quem locum huc adscribere e re nostra erit. Sic ille de temulentis: Πίνοντες ἔτι διψῶσι, καὶ ἄρχονται μὲν ἀπὸ τῶν βραχυλέξων κυάθων· προϊόντες δὲ τοῖς μείζοσιν οἰνοχοαῖς ἐγχεῖν παραγγέλλουσιν, ἐπειδὰν ἀκροθώρακες γενόμενοι χλιανθῶσιν, ἀκέτι κρατεῖν ἑαυτῶν δυνάμενοι, τὰς τε σινηρύσεις καὶ τὰς ἀμυξεῖς καὶ τὰς κρατῆρας ὅλους προσενεγκάμενοι, ἀκράτους πίνουσιν ἀθρόως. Cyathis autem illis potus sui mensuram antiquos me-

metiri solitos conjicit Budaeus de Asse V. p. m. 563. Nec usum multo absimilem habuisse τὰς מנקיות Chaldaei subinnuunt, מכילתא exponentes: quae vox *mensuras* connotat.

X. Quod si jam ad animum revocamus Dei monitum sacerdotibus factum Num. IV. 7. ut videlicet mensae imponerent vasa ejus una cum panibus, eamque velo contegerent hyacinthino, quoties loco movendum esset Tabernaculum, apparebit liquido non singulis vasis illis simul oneratam mensam, quum sactam aedem una cum castris metarentur, sed nonnulla horum haud procul a mensa in solo sancti fuisse destituta, quae, ubi opus esset, super mensa collocarentur. Secus enim otiosum ac de nihilo id, quod diximus, Dei mandatum fuisset. Atqui scutulas duas pro panibus praetereaque acerras thure plenas inter mensae exstitisse onera ante demonstravimus. Quanquam & horum vasorum plura alia, & de singulorum genere minimum duo, pro panibus ac thure novo quot sabbatis offerendis ibi praesto fuisse videntur. Supersunt igitur קשות & מנקיות. Quarum his vino libato, id est, infuso plenis in ipsa mensa locum datum; illas vero cum paulo grandiores fuerint, quam ut in mensa, praeter panum duos ordines, & acerras totidem, ut post dicemus, iis locus relinqueretur, ad latus mensae humi depositas atque vino ταῖς מנקיות infundendo repletas, idque adeo etiam post in Templo utroque constanti usu observatum fuisse, ratio est cur opinemur. Quippe haec, nisi fallor admodum, fuere σπονδεῖα illa, qualia ad exemplum Tabernaculi inter cetera sacri ministerii instrumenta Salomonem regem fecisse, atque longo post tempore Gn. Pompejum Templo altero potitum in Sancto (an in ipsa mensa, an juxta eam in solo reposita?) conspexisse Josephus auctor est; de quo infra. *Virum vasa libatoria universa mensae imposita, an alterutra tantum.*

XI. Numerum utrorumque vasorum, uti nec reliquorum, Deus in sacro legum codice non definivit; sed quemadmodum plura alia, quae hisce in sacris operandis *Numerus.*

usu venere, vel Mosis vel sacerdotum prudenti consilio determinandum reliquit. Quum tamen mensae tantilla capacitas (namque longa erat duos, lata unum cubitum) praeter patopsidas, quae panes sustinerent, & thuris acerras inter panum duos ordines constituras, de quo disputatur in Menachoth. XI. 5. singula seorsim posita vix caperet, contra Josephus vasa Tabernaculi enumerans, Judaeorumque Magistri, ubi de Templo novissimo loquuntur, duas, non plures, acerras (שני בזיכי לבונה, Menachoth loc. cit. Tamid II. 5.) constanti traditione scisscant, nihil vetat, quo minus duas ad minimum קשורת (plures enim una adfuisse infert pluralis illarum numerus Mosi memoratus) quae, cum ampla vasa essent, ut ante vidimus, sat magnam vini quantitatem contineant, fabrefactas dicamus; ex adverso autem pluribus מנקיות tanquam minutis poculis, in quae ex urceis קשורת proximo in solo adstantibus vinum libandum sacerdotes singulis sabbatis infunderent, incerto tamen numero, forsitan duodenario totidem panibus respondente, quo veteres in sacris gaudebant mirifice, in ipsa mensa locum adsignemus.

Talmudicorum Rabbinorumve haec in quaestione praeantiquis vacillat fides & auctoritas.

XII. Neque vero quidquam moramur Judaeos novissimos, quando divinae legis sensum minus adsequuntur, sed traditionibus suis in diversum eunt, majoribusque, testibus oculatis, in os contradicunt. His ex sententia cujusdam Gemarici Raf Kattinae, aliter Zerae dicti, (Seculi IV. a C.N. magistri in schola Tiberiensi) quae exstat in Gemara Menachoth fol. 97. 1. quamque, ut illorum est ingenium, haud secus ac Sibyllinum folium, catervatim neperes omnes exosculantur, קשורת Mosi memoratae sunt quatuor סניפין de quibus ibidem in Misna, hoc est, *stipites* seu *furculae aureae*, quas duas singulis panum ordinibus *ad eos sustinendos*, quasi vero *sustinendosque, ne delapsu frangerentur* (שמקשין את הלחם ומחזקין אותו שלא ישבר ceu habet Scholiastes) adaptatas solo insistere faciunt, ut sint altae 21. palmos, 9. a solo ad mensam, 12. pro altitudine panum; מנקיות vero קנים medii *calami* vacui, nume-

numero 28. itidem aurei : quales tres inter singulos panes collocatos volunt, *ne mucorem contraherent*, (שמנקין הלחם מעיפוש) excepto supremo, qui duobus tantum inniteretur. Is error vires sumsit ex verbis nomini מנקיות continuo subjectis אשר יסך בהן Exod. XXV. 29. quae modo dictus Raf Kattina in hunc sensum accepit aut detorsit potius, tanquam si *calamis istis contegeretur panis* (שמסככין בהם את הלחם) Nulla ratione habita Exod. XXXVII. 16. quo in loco eadem verba de קשות habentur. Ut proinde & harum idem usus aut certe non multum dissimilis fuisse censendus sit. Quid? quod separari & disjungi ab invicem panes illis calamis, non tegi, proprie dici potuerint. Et quorsum calami panibus sat bene coctis interponerentur in loco non humido, sed sicco: ubi nullum a mucore periculum? Verum ad hunc modum ubi traditio deficit, aut certe manca & mutila est, Scripturae verba ad hypothesin flectere iis hominibus solemne est: adhibitis in erroris subsidium vocum ipsis incognitarum etymologiis longe ineptissimis; cum praestaret alterutrum eligere, aut majorum premere vestigia, aut ingenue fateri ignorantiam. Desinimus plura in contrarium. Piget enim ineptiarum. Quo tamen & his, quae de סניפים & קנים in Misna Menachoth cap. XI. 6. habentur, fides constet, existimandum est, stipites istos calamosque ab nimia Pharisaeorum veterum curiositate & περιεργία tum profectos, cum ad eorum praescriptum fierent, quae ad cultum sacrum & ceremonias publicas spectabant, Josepho teste. At ne sic quidem libamento quondam caruisse mensam hoc opere contendimus. Licet alte ea de re sileant Judaei posterioris aevi Talmudicorum traditionis tenaces, & pro urceis vinariis stipites, pro cyathis calamos, pro Junone, quod ajunt, nubem amplexantes.

XIII. Succenseas mihi, nec injuria, Lector, ni in rei arcem sine mora te ducam: ni illud, inquam, nunc adgrediar, in quo cardo versatur Dissertationis meae. Agedum, quisquis vernacule loquentem Mosen intelligis; age, au-

vasa fuisse libandi usibus adhibita evincitur

1. Ex verbis אשר יסך בהן audiamus ipsum de gemina istae mensae supellectile libatoria paucis, imo tribus verbis, sed nisi me fallunt omnia, clare satis ac perspicue scriptitantem. Deum dedisse sibi in mandatis ait, ut in mensae apparatu, de quo sermo nobis, fieri curaret קשות & מנקיות. Ac ne de horum usu vel ipsi vel sacerdotibus sacra facturis superesset dubium, exponit consilii rationem, primoque de מנקיות Exod. XXV. 29. tum vero etiam de קשות ibidem XXXVII. 16. perinde edicit: אשר יסך בהן. Non aliam crucem aeque prodigiosam, atque haec est, positam sibi interpretes crediderunt. Quemadmodum Judaei haec verba accipiunt, paulo ante attigimus. Sunt in Christianis, qui praeeunte, ut opinantur, Jonathane Exod. XXV. 29. de efferendo ex Sancto atque *effundendo* quot sabbatis thure in altare majus cogitarunt, ut igni cremaretur. Thus autem illud ex acerris, impositis lancibus קערות (si superis placet) quibus per septem dies in mensa adservatum fuit, in vasa קשות & מנקיות similiter altera alteris imposita, exoneratum atque inditum hariolantur. Omnibus eadem errandi causa & occasio, quod, quid vasorum illorum sibi velint nomina, & pauca alia in contextu legis obvia, versare secum animo neglexerunt, contra vero temere vel ad paucitatem redegerunt, quae multiplicanda, atque ex vasis singulis nomine, adeoque etiam usu diversis, una cuderunt eademque, vel multiplicarunt in aliaque omnia transformarunt, quae secus esse Deus voluit. Testor tuam fidem, Lector! Obsecro te, si sanctioribus literis vel leviter tinctus es; quid si non trium, quas diximus, vocularum sonum, confestim ac tuis auribus illabitur, aequipollere huic percipis: IN QUIBUS, aut mavis, QUIBUS LIBABITUR? Ita vero Graeci Alexandrini (ἐν οἷς σπείσεις ἐν αὐτοῖς) Chaldaeus Onkelosus (Exod XXV. 29. דיתנסך בהין & ibidem XXXVII. 16. דמנסכין בהין) Samaritanus (ܕܬܠܡܝܕܝܢ ܒܗܝܢ) Pentateuchi interpretes omnium antiquissimi: quos negligere sine summa ratione nemo prudens solet, quique universi ad eam retro aetatem ad-

sur-

surgunt, qua in Sancto Templi novissimi ab sacerdotibus libatum fuit. Addimus Syrum : ومسكبتها

פסלי Vulgatum : *In quibus offerenda sunt libamina.* Unus, ne quid dissimulem, sibi minus constat Jonathan Uzielides, atque, ut videtur, deceptus verbo יסך *Jyssach*, pro quo יוסך *Jusach* legit cum *tegendi* notione, populariorum post se, maxime Talmudicorum, & qui ab his duci se patiuntur, nostri aevi Rabbinorum errori praelusit. Modo enim recte habet Exod. XXV. 29. די ישתמש ויתרק בהן Vertimus : *quorum sit ad fundendum* sive *libandum usus* ; siquidem אתרק in Chaldaeo de liquidis frequenter adhibetur. Atque idem Num. IV. 7. קסוות ניסוכא *Trullae libaminis.* Modo sui oblitus Exod. XXXVII. 16. vitiose reddit דמחפין בהון *quibus tegantur* panes. Nisi quis illum Jonathanis locum manum adulteram expertum ac interpolatum dixerit. Cui non repugno.

XIV. Libandi autem, non tegendi aut quemvis alium significatum obtinere יסך *Jyssach*, constanter in Hebraeis codicibus lectum, ne tirones Hebraismi ignorant. Et quisquis יסך *Jyssach* a סכך (unde יוסך *Jusach* fieri in conjugatione Hophal Grammatici praecipiunt. Nec datur dissimile exemplum, quin simul ἔτυμον regulare ejusque notionem agnoscat) non a verbo tritissimo נסך, quod elisa prima schevata mediam geminat, estque *fundere, libare*, contracte pro ינסך *Jynsach* passive & ἀναλόγως formatum dixerit, idem quidlibet ex quolibet fingendi, refingendi, inque eruendo sacrarum legum sensu impune grassandi datam sibi eadem opera potestatem putet. Idem, ne quid durius dicam, ineptire praestantissimos Interpretes clamitet, inculcantes ad ravim usque, non recedendum esse temere & citra necessitatem ab usitato, plano ac simplici verborum sensu ; secus enim violenta, obstipa, contorta fore omnia. Ac ne qua in me desideretur industria, ausim fidenter asserere, evolutis versatisque Hebraei Codicis

Et confirmatur Hebraeae linguae praeceptis, & notione propria verbi נסך.

locis omnibus, ne ullum apparere, in quo non verbum illud נסך, de quo disputamus, *fundendi, effundendi* notionem admittat, dicatque proprie *fusionem rerum liquidarum* per se, ut vini, olei, aquae (pecul. in Dei idolorumve honorem vel muneris adeundi causa) aut liquefactarum, ut metallorum, unde fiunt vasa vel imagines, & hae quidem speciatim in usum idololatriae. Convenit ergo fere cum יצק. Idemque eidem verbo significatus constanter adhaeret in Chaldaea & Syra dialecto. Contra locus proferri in medium nullus potest, & erit, qui protulerit, mihi magnus Apollo, in quo נסך absolute positum vel nomini junctum sonet *effusionem aridorum*, atque adeo *thuris* ex vasis מנקיות & קשות (quod illi vellent) in altare holocaustomatum. Quippe inest potius haec notio verbo שפך quanquam minus proprie (usurpatur enim frequenter de liquidis, pecul. de sanguine) velut Levit. XIV. 41. de pulvere: ibidem cap. IV. 12. 1. Reg. XIII. 3. 5. de cinere: Jerem. VI. 6. Ezech. IV. 2. XVI. 16. de aggesta mole quasi effundenda accipitur. Quae ideo notamus diligentius, ut sensus genuinus verbi נסך constansque ejus usus & differentia ab aliis, Scripturae sacrae auctoritate cognoscatur, non ad nostrum quorumlibet arbitrium detorqueatur. Quid? quod si ex acerris in vasa illa, de quibus disceptamus, thus effundi Deus voluisset, longe apertius clariusque ac magis Hebraice dixisset אשר יורק בהן *In quae transfundatur*, videlicet thus. Ita profecto Jeremias loquitur cap. XLVIII. 11. *Tranquillus est Moabita inde a pueritia, desidetque super faeces suas*, ולא הורק מכלי אל כלי *neque transfusus est de vase in vas, id est, non exulavit.* Judaei vero & hos secuti Christiani Interpretes, sicubi aqua haereret, passim verbo נסך *tegendi*, non *fundendi* aut *liquandi*, ut par erat, significatum adfinxere, quod eum ipsi tribui ab Judaeis recentiorum temporum Magistris deprehenderent, pollicem prementibus sive Raf Kattina sive Jonathanis Chaldaei interpolatore, de quibus supra. Non tamen sine vi facta locis Hebraei codicis disertissimis. Id

quod

quod conficere proclive foret, si quidem hujus opellae pateretur angustia. Atque idem de nomine נסך *Nesech*, nec non de verbo Graeco σπένδειν, quod in Alexandrina versione perpetuo respondet Hebraeo נסך, & hinc derivatis σπονδείοις sive, ut Philo & Josephus haud raro, σπονδίοις dictum esto. Par enim & horum ratio est, ut de vino, aliisque liquoribus religionis ergo in Dei honorem effundendis, non de aridis, thure similibusve, proprie & usitate accipiantur. Nec datur dissimile exemplum, quemadmodum infra dicemus.

XV. Atque haud sane video, quid illuc processerint imprudentiae post Judaeos etiam Christiani interpretes, in tricis Grammaticis (si quidem tales sint, a quibus divini verbi vis omnis ac potestas pendet) longe illis perspicaciores, ut ausint solem negare in meridie deque libamento sermonem esse ambigant, quod disertim Num. IV. 7. ipse Deus nominat, quum genti mandat Aaronicae, ut quoties castra moveantur, inter cetera Tabernaculi vasa mensam velo contegant, imponantque mensae una cum panibus paropsidas, acerras, cyathos, denique קשות הנסך *Kesoth hannesech*. Quod postremum vocabulum si quis de operimento qualicunque panum, vel ipsius mensae, ut vult Coccejus, non de libamine capiat, sine Hebraeae linguae exemplo, quasi à נכך *texit* cum servili *Nun* formatum sit, qualia nomina verborum deficientium media radicali Grammaticorum, cum Judaeorum, tum Christianorum, agnoscit nemo, illum causam allegare jubeo, cur non קשות המכסה aut si mavult קשות המסך nominibus eodem in contextu frequentatis Moses Dei legislatoris exprimere mentem maluisset? Mosen dico, quem scientem volentemque verbis ambiguis sectari obscuritatem in re, quam non nosse, sed pernosse, ad explendas sui muneris partes, sacerdotum horumque posteritatis intererat, nemo prudens autumet. Tacemus in eundem sensum, id est, de libamine, haud dubie ex prisco morte in sacris Hierosolymitanis tum temporis recepto, hunc locum exposuisse Pen-

2. Ex Num. IV. 7. קשות הנסך

Pentateuchi versiones vetustissimas, & quae sive ex iis sive ex Hebraeo fonte derivatae sunt, recentiores non paucas. Ita Chaldaeus Onkelosus: קסוות ניסוכין Jonathan pressius ad verbum: קסוות ניסוכא *Trullas libaminis.* Graeci, usum vasorum magis, quam nomen respicientes: Τὰ σπονδεῖα ἐν οἷς σπένδει. Samaritanus: [illegible] *Pocula libaminis.* Syrus in eundem sensum: ܛܪܘܠܐ ܕܢܘܩܝܐ *Trullas libaminis.* Vulgatus *Crateras ad liba fundenda.* Mittimus reliquos. Neque est adeo, quod quis in contrarium arguat, verbum נסך praesertim in Hiphil & Hophal constanter construi cum nomine נסך & subinde cum יין aut מים, tanquam ipsa materia fundendo apta: unde phrasis tritissima sit הסך נסך *fundere libamen*, atque adeo exemplo careat passivum יסך absque נסך conjugato nomine. Namque verba in Hebraeo haud raro ellipsin patiuntur nominum cognatorum, objectum actionis designantium: sensu illibato. De quo inter Philologos non ambigitur. Imo vero defectum istum liquido compensat locus jam citatus Num. IV. 7. in quo τὰς קשות ad נסך sive ad libationem, restrictas legimus. Dicuntur enim signanter קשות הנסך *urcei* seu *trullae LIBAMINIS.* Quod unum sufficere bene attendenti poterat ad persuadendum quod volumus.

Vino libatum esse in mensa specialius probatur.

XVI. His praemissis & quemadmodum opinor, sat firmiter demonstratis, ad liquorem in vasis libatoriis oblatum accedimus. Tres sunt liquores, quorum in sacris Leviticis usus fuit: Vinum, oleum, aqua. Oleum & aqua in libamentum offerri non jubentur; sed vinum tantum: & merum quidem, non mixtum, ut in sacris idololatricis Jes. LXV. 11. Nec oleum inter epulas, sed ante illas, capiti delibuendo adhiberi solitum, ut est Psal. XXIII. 5. Luc. VII. 37. 38. Aqua vero in festo Tabernaculorum, nulla id jubente lege, libatum fuisse ad altare exterius Judaei tradunt

in

in Codice Succa IV. & V. Lex tamen Mosaica nil praeter vinum, & quidem optimum, sancivit pro libamine, ex canone generali: ליהוה (subaudi יין) בקדש הסך נסך שכר Vertimus: *In sanctuario effer Domino libamen ex vino generoso & vetere* Num. XXVIII. 7. Esse enim שכר optimum vinum (חמר בחיר) minimum 40. dierum a torculari, veteres tradiderunt ad h. l. Vinum quoque, mustum & sicera passim distinguuntur Deut. XXIX. 6. Mich. VI. 15. Et vinum in libamen ad sacrificium juge & pleraque alia Deus postulat, ex formula יין לנסך Exod. XXIX. 40. 41. Num. XV. 5. 7. 10. ad basin altaris majoris profundendum. Inde libamen speciatim ad vinum restringitur, passimque omnes oblationes & sacrificia tribus nominibus veniunt, עולה, מנחה & נסך: interdum duobus מנחה & נסך: & unico מנחה tantum. Vinum itaque sacerrimi hujus epuli partem facturum, facili negotio cum Moses, tum sacerdotes sacris operantes non duntaxat ex mandato de libaminibus vino faciendis, verum & ex vasis quibus offerretur, eorumque usu, superius declarato, intellexerunt. Ac profecto, ubi Deus ferta sive oblationes e rebus inanimatis, similaoleo & sale factas coctasque, sive cum quadrupedum sacrificiis sive seorsim, in altari, quod sub dio erat, incendi atque igne cremari jubet, hisce, sive publicis sive privatis, non singulis, at plerisque tamen, libamenta ex vino, sua quibuslibet mensura, jungi flagitat Num. XV. 5. 7. 10. XXVIII. 7. 14. atque ista, propter analogiam cum re, quae ipsi grata & accepta est, קרבנו לחמו *oblationis, cibi sui*, nomine complectitur: unde id altare *mensa Domini* audit Malach. I. 7. 12. Ezech. XLIV. 16. Quidni pari, imo ampliore jure, praeter panem etiam vino poculis infuso instructam oneratamque mensam voluisset? mensam vero, in qua epulari quasi & convivari supremo Numini ad regis instar in regia domo & palatio complacuit? in qua spiritualium dapum, quae sine necessario nullae forent, exhibuisse ipsum solis fidelibus atque

intimioris admissionis amicis suis signa & symbola Christiana fide melius edocti credimus?

Et illustratur non multum differre ritu Gentilium.

XVII. Tale quid observamus in sacris Gentilium ab Levitico isthoc libandi ritu non longe deflectens & tantum non ab hoc mutuo acceptum. Duplice gaudebant vini in mensa libandi consuetudine. Vel enim mensas in Templis statuebant, quibus imponebantur cibi, velut popana & similia, cum potu, quae diis consecrata auferebant sacerdotes: aliquando ad ostentationem tantum vasa his recipiendis apta in mensa exponebantur. Vel epulis absumtis in solemnioribus conviviis vini aliquid effundebant in mensam, divos precati. Hic mos ab antiquissimis temporibus non solum orientis populos exercuit, sed inde quoque in sacra aliarum manavit gentium: haud dubie, quod quae in hominum vita maxime necessaria jucundissimaque sunt diis offerentes gratiam sese inire apud ipsos crederent, tanquam suae laetitiae ac hilaritati faventes. De illis Jesaias LXV. 11. Jeremias VII. 18. XLIV. 17. Auctor adjectionum ad Danielem XIV. Huc facit Macrobius Saturn. III. 11. *In fanis alia vasorum sunt & sacrae supellectilis, alia ornamentorum. Quae vasorum sunt, instrumenti instar habent, quibus sacrificia conficiuntur: quarum rerum principem locum obtinet mensa, in qua epulae, libationesque, & stipes reponuntur.* Ovidius IV. Fast. 934.

Cumque meri patera thuris acerra fuit.

Statius Thebaid. I. 539. de Adrasto

Postquam ordine mensae
Victa fames, signis perfectam auroque nitentem
Iasides pateram famulos ex more poposcit.

Et mox:

Hanc undante mero fundens, vocat ordine cunctos
Coelicolas: Phoebum ante alios:

De Mensa Delphica Juvenalis Satyr. III. 203.

Urceoli sex
Ornamentum abaci, nec non & parvulus infra
Cantharus.

Id genus mensis non absimilem (Δελφικῆς παραπλησίαν)

men-

mensam in Tabernaculo positam ait Josephus Antiq. III. 6. non formam abaci, ut nonnemo ad h. l. (nam & super tripode insistebant) sed usum utrarumque non multum diversum intuens. Et pluribus in locis mensas ejuscemodi Apollini dicatas vide in Ælian. Var. Hist. I. 20.

XVIII. Non melatet Exod. XXX. 9. de altari aureo in Sancto lege curatum esse, ut holocaustis, fertis ac libamentis careat, esseque adeo, qui credi velint, * quemadmodum ad libationem ab illo altari abstinendam speciali monito opus fuit, ita simile mandatum, ut ne libaretur ad mensam istam, intercedere oportuisse: quod cum negligatur vero, quamvis libatio in aliis panibus dandis obtineret, utique factitatum fuisse. Quae quidem ratio multa se specie commendat; cum tamen in oppositione ad altare holocautomatum verba ista capi possint commode, ubi libamina fundebantur quotidie, praetereaque de legis sensu quaestio moveatur, ab silentio Legislatoris in consimili casu usquequaque firmum peti argumentum non puto.

Huc tamen minus facit interdictum Exod. XXX. 9.

XIX. Ex adverso non parum roboris nostrae accedit sententiae a versionibus, ut ante monui, Pentateuchi ob vetustatem celebratissimis: quas ad eruendum legum Mosaicarum sensum pluris facio, quam qui ab adversis stant partibus, Rabbinos omnes. Qui vel ipsi Chaldaeis Onkelosi & Jonathanis translationibus tantum auctoritatis tribuunt, ut secundo eas post Hebraeum codicem loco habeant neque contradicere iis palam audeant; adeo ut sicubi ab his dissentiunt, fortius in eos torqueri telum nequeat. Neque minor est Samaritanæ versionis valor, quae non solum longe ante Christi tempora prodiit, nec multum post Esram & Nehemiam, ut viri docti observarunt, sed & cum reliquis id commune habet, ut auctorem agnoscat, quisquis est, qui ritus Mosaicos ex ministerio sive Hierosolymitano sive postmodum Garizitano ad illius exemplum comparato, ignoraret minime. Idemque de Graecis Alexandrinis interpretibus dictum esto. Nam Hebraeae &

Consensus veterum Pentateuchi Interpretum quantum hoc in negotio momentum habeat.

* GUSSETIUS, Comment. Ling. Hebr. Rad. נסך

Graecae Linguae peritia inclyti, ac nonnulli de sacerdotum genere, ad id opus perficiendum e Judaea ad Ptolemaeum Philadelphum Ægyptiorum regem missi erant. Quo minus credibile est, ipsis ignorantiam tam luculenti ritus Hierosolymitani, ut quidam existimant, facile obrepere potuisse.

Loci optimorum auctorum a nostris partibus; maxime Philonis & Josephi.

XX. Suffragantur posterioris Regum XXV. 18. & prioris Chronicorum XXVIII. 17. scriptores, nec non Esra VIII. 27. & Jeremias LII. 19. ubi sacrorum vasorum vel noviter fabrefactorum vel e Templo Salomonico hostili manu direptorum reliquere catalogum. Solae his memorantur כפורת, קשורת & מנקיות; procul dubio quod his קערות aliorum vasorum ejusdem formae nominibus, quidam etiam reliqua voce קשורת aut כפורים comprehendi velint. Nec abludit prioris Maccabaicorum auctor cap. I. 23. perscribens Antiochum Epiphanem captis Hierosolymis occupatoque Templo secum abstulisse altare aureum & lychnuchum cum instrumentis ejus, & mensam propositionis, καὶ τὰς σπονδεῖα, id est, *trullas libatorias*, phialasque & pelves aureos cum ceteris Templi ornamentis. Philo etiam de istac mensa: Ἄρτοι καὶ σπόνδια ἐπιλείψονται ἀυλῇ, libro *Quis rerum divinarum heres* p. m. 512. Et de Vita Mosis Lib. III. p. 669. Ἐφ' ἧς ἄρτοι καὶ ἄλες. Ut Graecum ψύσκης, quo LXX. Hebraeum כפורת reddidere, pro salinis habuisse videatur: sumto rei argumento ab oblationibus farreis altaris exterioris, quibus ne sal deesset lege diserta cautum erat, Levit. II. 13. Quam vellem vero non sibi dissimilem hac parte Flavium Josephum fore! Is praeter panes duodecim ait aeratas thuris duas super mensa destitutas in Tabernaculo: nihil amplius. Antiq. III. 6. & 10. Quo minus mirum est, quod de Flavio viri docti observarunt, ipsum in exponendis sacris ritibus non presse ubivis Hebraeum codicem aut Graecos Alexandrinos, sed alios haud raro suae gentis scriptores aut suorum temporum instituta sequi, non de industria mendacem, sed improvide credulum. Et forsitan vel ipse vel ii, quos duces habuit, de libando vino in mensa sacra tacere hoc decreverunt consilio, ne

Judaeos

Judaeos in suspicionem adducerent, quasi Baccho, Libero patri, mensam sternerent in Templi penetralibus, quem cultum iis Gentiles improperaverant. Certe idem Josephus, sui oblitus, alibi Salomonem regem perhibet fecisse φιάλας καὶ σπονδία in mensa sacra reponenda, Antiq. VIII. 2. Tum deinde narrat Cn. Pompejum una cum iis quos secum habuit, Templum jure victoriae ingressum, quo soli Pontifici penetrare fas sit, tamen quae intus erant, lychnuchum & lychnos, & mensam, καὶ σπονδεῖα, καὶ θυμιατήρια, (quidam codex habet θυμιαλήϊον) ex auro omnia, inspectasse, de Bello I. 7. & Antiq. XIV. 4. Praeter mensam σπονδεῖα καὶ θυμιατήρια ait intus & in Templo conspexisse Pompejum. En duum generum vasa: altera libamini, altera thuri recipiendo aptissima! Θυμιαλήϊα Josepho, licet praeter vulgarem Graecorum usum, eadem sunt cum φιάλαις; velut supra Antiq. VIII. 2. Haec כפורת appellavit Moses, de Tabernaculo perscribens, ceterique scriptores sacri, ubi vasorum Templi aureorum mentionem injiciunt. Σπονδεῖα vero, seu σπόνδια, cum nominat, quid si non vasa libatoria indigitat, quorum usus ἐν τῷ ἐντὸς nisi in mensa esse potuit? & *trullarum* quidem, quemadmodum supra diximus, ante mensam in solo, *cyathorum* vero in ipsa mensa? Utrique propter communem ipsorum libandi usum τῶν σπονδείων nomine veniunt.

XXI. Nollem super hac quaestione in alia omnia ire Clar. RELANDUM, elegantis ingenii & limati judicii Virum: cui alioqui lubens adsurgo meritoque. Nollem cum ipso credere vasa קשורת & מנקיורת apte σπονδεῖα nuncupari ab effundendo thure, alterum vero alteri impositum, in eaque thus infusum, quod in sancto per dies septem fuerat, ut ex iis in altare exterius daretur igni cremandum. Majus autem σπονδεῖον, minus illi impositum φιάλην Josepho esse. † Ad quod probandum frustra, ut mihi videtur, solicitat σπονδείων nomen, ut quae Josephus distinguat ab οἰνοχόαις, id est, vasis, e quibus vinum

Quid σπονδεῖα Josepho.

† De Spol. Templ. Hieros. cap. 11.

libandum invergebatur simpulo altaris exterioris. Proindeque σπονδεῖα non ad vini usum facta. Nos vero Josepho satis bene convenire cum reliquis vel suae vel aliarum gentium scriptoribus Graecis arbitramur. Φιάλαι ipsi sunt vascula thure plena & cum thure in mensa reposita. Hoc illis nomen imponit de mensa agens, Antiq. III. 7. Sed πίνακας appellat, ibidem cap. 10. Οἰνοχόας, quod vel ex sono vocabuli percipitur, discriminis ergo vocat vasa vinum continentia, sed usu, adeoque & forma a σπονδείοις diversa; quod non tam vino recipiendo servandoque, quam aliorsum, videlicet in simpulum altaris effundendo aptata fuerint. Sed idem de mensae libatoriis universim adfirmari non poterat. Atqui οἰνοχόαι, tanquam fusoria vasa, a potoriis, velut crateribus similibusque, distinguuntur ratione usus; quidni & formae? Hesiodus Ἔργ. 742.

Μηδέ ποθ' οἰνοχόας ληθέμεν κεκλήγοντα ὑπέρθεν
Πινόντων.

Neque magis hypothesin confirmat vir doctus ex verbo σπένδειν; siquidem Josephum non monito lectore alium ac Graecos omnes illi significatum tribuere nullo argumento idoneo probat. Nam ad quae provocat e Graecis auctoribus atque ipso Josepho loca, commode de liquoribus, velut humano sanguine aut victimarum, vel de rebus tanquam libamentis Deo consecratis, non de thure aridisve aliis ritu religioso in Dei honorem effundendis, sive proprie sive translate, aut certe ἀκύρως, accipiuntur. Quin obstat usus constantissimus, quo Graeci Alexandrini, quos passim Josephus sequitur, Hebraeum נסך verbo σπένδειν, vasa autem libatoria σπονδείων nomine reddiderunt. Ac de cetera Graeculi quidem Tzetzae, sed proba tamen ista observatio est ad Hesiod. Ἔργ. 336. Σπονδὴ ἡ τῦ οἴνυ ἐπίχυσις, πρὸς τὰ ἱερευόμενα. Eodem sensu Josephus de Levitis: Σπονδαῖς τε καὶ πολλῶν ἱερείων αἵματι τὴν ὁδὸν καταντλοῦντες, καὶ θυμιῶντες &c. Ant. VIII. 4. Neque vero vitio verti debet Flavio Judaeo homini, si quae cum vernaculo idiomate ipsi a natura tantum non congenita est, nominum

num verborumque nonnullam inconstantiam facile in peregrina lingua, qualis Graeca ipsi fuit, vel invitus evitare non potuit. Quo in casu mirum non est, ipsum vocibus ob tantillam rerum iis insignitarum inter se convenientiam diversos haud raro significatus subjicere. Tales sunt, observante Celeb. Relando, πίναξ, κρατὴρ, μέτρον, θυμιατήριον. At idem de σπονδείοις verum esse exemplis idoneis commonstrandum erat.

XXII. Superest, ut objectiones nonnullas diluamus, quae adversus demonstratam in superioribus libationem moveri possent. Harum prima est: Non vinum, sed panem dici passim in sacris literis mensae impositum. Respondeo 1. Nec thuris vulgo mentionem fieri, quod tamen ut rerum in mensa offerendarum partem faciat, diserta lex cavet Levit. XXIV. 7. 2. Sub panis appellatione, tanquam praecipui, quo ad vitam tolerandam indigemus, etiam potum comprehendi ex Hebraeorum & vulgata gentium phrasi notissimum est. Ac similiter מנחה speciatim notat donum farreum in altari majore offerendum. Tamen ad quodvis aliud munus sive liquidum, ut vinum, oleum, sive aridum, ut salem, thus, extenditur. *Objectio prima.*

XXIII. Majoris momenti quaestio est: Quid caussae sit, cur R. Jehuda Princeps, juris Judaici compilator, in Codice Menachoth XI. 7. quo de instruenda sacra mensa exponit, & Gemarici aliique his aetate suppares, libationem istam in Sancto peractam silentio praetereant? Quanquam vero ubi res, de qua quaeritur, in Lege sat firmamenti habet, accedente insuper universae melioris atque αὐτόπτου antiquitatis consensu, sequiorum temporum doctores cum suis majoribus ipsoque Mose committere iniquum est; operam tamen dabimus, ut in re obscura id quod probabile est in apricum producamus. Dicam igitur quod sentio. Libationem factam esse, sicut in mensa Tabernaculi, ita quoque in Templo Salomonico, extra dubitationis aleam positum est. Nisi tantum ostentationis causa vasa libatoria facta dicamus; quod cum Dei manda- *Objectio secunda.*

to

to superius enarrato non convenit. Certe adfuisse in Templo primo, indeque in Babyloniam jussu Nebucadnezaris asportata patet ex Jerem. LII. 19. 20. quo in loco מנקיות inter vasa recensentur, אשר ישרתו בהם *quibus ministrare consueverant.* In Babylonia Nebucadnezar illa delubro idoli sui consecraverat, unde repetita, jubente nepote ejus Belzasare, in solemni convivio, non sine Dei vindicta, poculorum vicem praestabant Dan. V. 2. 3. Huic autem potationi magis apti erant cyathi מנקות quos mensae sacrae impositos diximus, quam vasa ad libandum in altari exteriore facta, utpote fusoria magis, quam potoria. Namque ex iis vinum profundere ad imum altare mos erat. Quum deinde Cyrus redeundi in patriam sacraque Hierosolymitana ex integro suscitandi Judaeis potestatem faceret, Sesbazari seu Zorobabeli, Judaeorum Principi, reddi jubet vasa universa, quae Nebucadnezar abstulisset, atque in his אגרטלים aureos triginta totidemque כפורים & vasa mille alia Ezr. I. 9. 10 Pro אגרטלים Graecus interpres substituit σπονδεῖα. Josepho sunt ψυκτῆρες *refrigeratoria.* Nec male. Est enim vox Persica, si quid video, ex اخر *labrum* (mutato ח in ג cognatam literam) & طلي *aureum*, qua vocula adjecta Mithridates thesaurarius regius vasa aurea ab argenteis discernebat. Inde natum אגרטלי & pluriali numero אגרטלים. Sed haec in transcursu. Porro Josephus Antiq. XI. 1. in Cyri edicto praeter ψυκτῆρας nominat totidem Θηρίκλεια *Thericlea pocula*, a Thericle Corinthio artifice sic appellata, tum κάδους *situlas*, σπονδεῖα *libatoria*, denique φιάλας *acerras*, tanquam כפורים Ezrae memoratos. Sunteque, si situlas cum phialis exceperis, vasa ad vinum vel frigefaciendum vel bibendum vel libandum aut fundendum comparata. Quinergo sub idem tempus nova mensa in Templo reaedificato iisdem, quibus ante in Templo Salomonis, vasis instructa, eodemque modo libamen super ea ab sacerdotibus oblatum sit, dubitare

nos

nos non sinit Ezrae sacerdotis studium & ἀκρίβεια. Aucta fuit postmodum haec supellex Ptolemaei Philadelphi munificentia. Is Judaeis vicem repensurus pro Lege ipsorum in Graecam linguam translata, jussit mensae, quae tum Hierosolymis in Sancto erat, magnitudinem (etiamne vasa?) explorari, neque modo auream illi aequalem, cum crateribus aureis duobus & tribus argenteis, phialisque aureis 20. & argenteis 30. ipsis dono dedit, verum Eleazaro Pontifici inter munera sacris usibus destinata, habita ratione vasorum, queis mensa superbiret, etiam misit φιάλας (כפורת) καὶ τρυβλία (קערות) καὶ σπονδεῖα (מנקיות) καὶ κρατῆρας (קשות) χρυσᾶς δύο εἰς ἀνάθεσιν, id est, *in Templo reponendos*. Dixerat vero ante: βέλεσθαι γὰρ αὐτὸν ἀνακεῖσθαι μόνον εἰς θέαν τὰ ἀναθήματα, ἀλλὰ καὶ πρὸς τὰς λειτουργίας ἔυχρηστα. *Cupere enim se, ut donaria, quae ipse consecraret, non in spectaculum solum essent, sed ad sacrorum etiam usum accommoda*. Josephus Antiq. XII. 2. p. 590. & 596. *Edit. Lugd. Bat.* Haec Antiochus, Urbe capta Templi divitiis inhians, cum ceteris vasis & ornamentis omnibus in Syriam detulit, ut supra dictum.

Ac licet Judas Maccabaeus, devictis hostibus & Templo repurgato, vasa illa, quibus ad ministrandum opus fuit, una cum mensa restituisse videatur 1. Maccab. IV. 49. quae non longe post Pompejus conspexerat: praetereaque ad extremum quidam Jesus Thebuthi filius, sacerdos, legatur Tito urbem obsidenti ex Templi pariete tradidisse *mensas craterasque & phialas*, his quae in Templo erant similes, ex auro solido, velut Josephus de Bell. VI. 8. probabile tamen est, ingruente cum tempore, post fata Jonathanis Hasmonaei, Pharisaismo, quum de sensu legis Exod. XXV. 29. (quo erant Pharisaei ingenio, quorum e sententia ceremoniae publicae componebantur) subtilius, an ineptius? disputari coeptum esset, tunc demum, abolito prisco libandi ritu, sacerdotes vasa illa ad ostentationem tantum, partim in ipsa mensa, partim juxta eam exposuisse, additis aut substitutis quasi in horum locum furculis & calamis, d quibus

§. 12. hoc consilio, ne quid mensae deesset, quod illi vel a majoribus traditum noviſſent, vel lege imperatum putarent. Aut certe affirmandum, hunc libaminis offerendi morem in Templo altero constanter custoditum, sed veniſſe in oblivionem post Urbem una cum Templo ab Romanis solo æquatam, CXX. annorum spatio, quo Judaei mire divexati incertis sedibus errarunt; donec R. Jehuda in Babylonia, ut loquuntur, scholas aperiret & traditiones Miſnicas primum collectas publici juris faceret. Id quod a vero haud procul abludere profiteatur, cui quidem crebrae de avitis ritibus ac ceremoniis omnique admodum jure Judaico altercationes & controverſiae, in collectione Miſnica frequentatae, locupletes haesitationis testes, propius perspectae sunt. Adeo, ut absque aliis Judaeae gentis scriptoribus esset, Philone, Joſepho & Pentateuchi antiquis interpretibus, in magna versaremur plurimarum rerum, quae ad ceremonias illorum publicas attinent, ignorantia.

Objectio tertia. XXIV. Noviſſime videmur nobis & has in contrarium nonnullorum voces exaudire: ſi cyathi vino repleti atque ſingulis ſabbatis cum pane & thure mensae impoſiti forent, vinum neceſſe fuiſſe septem dierum spatio in vappam verti. Sed nihil prohibet, quo minus dicamus vinum quotidie vel semel vel iterum in Sanctum delatum sub idem tempus, quo jugis libatio fiebat ad altare exterius: vergente autem tempore ex Sancto repetitum atque ad imum altare profuſum. Haud secus ac thus, non ex peculiari Dei mandato, sed sacerdotum, ut viderut, consilio, pridie ſabbati igni ejusdem altaris cremandum datum fuit. Atqui de solo pane habentur ista Levit. XXIV. 8. ביום שבת ביום שבת יערכנו לפני יהוה תמיד *Quolibet die ſabbati diſponito eum* sacerdos *coram Domino jugiter*; licet praeter panem etiam thuris commate praecedente facta esset mentio. Scilicet haec similiaque plurima in Lege speciatim non definita, sed usu addiscenda, sacerdotum commiſſa arbitrio censeri debent.

XXV.

XXV. Facile jam ex dictis aestimare licet, quae ex pugnatis Hierosolymis huic mensae imposita vasa Romae in trium; ho Titus Vespasiani filius circumtulit (Vid. Josephus de Bell. VII. 5.) prout ea ex arcu triumphali, qui hodieque Romæ exstat, in aes incisa post alios Clar. RELANDUS exhibet. Duo hic visuntur vasa tat exigua pro mensae magnitudine. Quod mensam inspectanti ad sinistram ponitur, ansa oblongula instructum est, adeoque alteram acerram refert, e qua thus in focum altaris majoris effundere mos erat: quod fieri commode nisi ex vasculis ansatis haud potuisse videatur. Alterum ad dextram ansa caret, & ventricosum ac superne circa orificium introrsum reduncum est; nisi id habeat a vetustatis vitio. Hoc, nisi fallor, repraesentat cyathorum (מנקיות) unum, cui ea forma, quasi hauriendo potui apta, satis conveniat. Certe quo minus geminas esse acerras thuris statuamus, figurae utriusque notabilis varietas facit. *Cyathorum unus in Titi triumpho Romae visus est.*

PARS POSTERIOR.

De mysterio mensae sacrae & oblati super ea libaminis.

XXVI. POsteaquam ex quaestione ardua & difficili, velut ex aspero & inhospito loco, evasimus, juvat nunc animi causa per plana decurrere, atque mensae sacratissimae rerumque, praesertim vini in ea expositi, sensum sublimiorem evolvere. Etenim Deum pro sua sapientia & sanctitate non frustra universum hoc Tabernaculi Templorumque externum ministerium populo demandasse, nec voluisse adeo sacra facientes in mundanarum rerum elementis subsistere, aequum est ut existimemus, atque idem suadet ratio divinae oeconomiae omnium temporum, & passim sacrae inculcant literae. Totus in eo demonstrando est Paulus Apostolus in Epistola ad Hebraeos exarata. Quum vero, quae ad cultum illum publicum pertinebant instrumenta, pro locorum ac rerum sacrarum varietate ad varias res *Transitio & rerum tractandarum series.*

spirituales transferantur, singulaque certo respectu inter se communi quodam vinculo contineantur, hac in re tractanda sic versabimur, ut significatum arcanum exploremus.

I. Generatim, locorum Tabernaculi sive Templi utriusque, ac rerum in his collocatarum.
II. Specialius, Sancti atque inibi Mensae & oblati in ea Panis, Vini ac Thuris.

Tria loca Sanctuarii quarum rerum monumenta.

XXVII. Universa cultus Levitici instrumenta inter se sanctitatis gradu, adeoque & rebus significatis, differre Deus per Mosen ipso declaravit opere, quum alia atque alia non materia solum, artificio & usu, verum suis etiam locis distingueret. Praecipua religione sacerdotibus tractanda erant, quae intus, loco sanctissimo atque huic sanctitate proximo, condebantur, Arca foederis, tum Lychnuchus, Mensa & Altare suffitus: ἱρὰ θαυμασιώτατα καὶ περιβόητα πᾶσιν ἀνθρώποις ἔργα; quemadmodum Flavius de Templo altero. Et Apostolus sacrosanctum Tabernaculi locum δευτέραν σκηνὴν, item ἅγια ἁγίων, minus sanctum πρώτην σκηνὴν appellat: eo quod per hanc ad illam aditus patet. Illam docet coeli bonorumve coelestium figuram obtinere Hebr. VIII. 1. 5. IX 24. per hanc autem Christum, Dominum nostrum, perrexisse, ut utramque faceret domum unam, atque eos, qui in terra sunt, ad coelestem sedem adduceret Hebr. IX. 11. 12. Non igitur, quid Sanctum cum ejus utensilibus, resque divina in eo ab solis sacerdotibus clanculum, solo Numine testo, facta, sibi velit, cuiquam obscurum esse potest. Nimirum umbra fuit status Ecclesiae Novi Testamenti, non promiscuae, sed internae, invisibilis ac militantis in terris: quae ad coelestem tendit & in coelo consummatur; cui adeo, tanquam regno Christi spirituali, certa beneficia ac praerogativae, tota illa supellectile ostentatae, competunt. Supererat Atrium. Hoc depingit conditionem Ecclesiae externae, cui nomen dant justi & mali promiscue, velut omnis olim huc confluebat populus. Is enim

enim populus cum suis actionibus non eos adumbravit tantum, qui minorem fidei gradum obtinent, sed & qui Christo per fidem nondum sunt insiti, atque externe & ad speciem profitentur istam communionem per fidei confessionem, suntque participes bonorum in externa Ecclesia conspicuorum, tolerantiae videlicet, verbi & sacramentorum. Ceterum in tribus hisce locis Sanctuarii observamus talia adfuisse, quae ad sustentandam vitam hominis naturalem faciunt, at gradatim ad majorem praestantiam, simplicitatem puritatemque accedunt: non sine mysterio.

Instrumenta & res in Sancto expositae repraesentant bona Ecclesiae internae Novi Foederis.

XXVIII. In loco sancto, ut dicere anticipavimus, praeter altare suffitus, velo interiori vicinum, & lychnuchum, positum introëuntibus ad sinistram in australi latere, ad boream cernebatur mensa, quae vocatur, panum propositionis. Tria haec solis sacerdoribus patebant, eoque electis, novae oeconomiae sacerdotibus 1. Pet. II. 9. Apoc. I. 6. V. 10. documento erant, se omnia, quibus opus est, in uno habere Christo, cum suis beneficiis hic adumbrato: altare, ad sese probandum Deo eoque propitio utendum familiariter, lychnuchum, ad videndum oculis fidei, mensam, ad vescendum, sive epulandum ac lætandum in spiritu. Et altare quidem cum thure adolendo fidelium preces jucundissimamque cum Deo communionem, natam ex sensu amoris ejus, luce spirituali & cibo ipsis exhibito comprobati, lychnuchus vero istam illuminationem spiritus ac rerum salutarium cognitionem Scripturae phrasi designant. Mensa, de qua praecipuus sermo nobis est, sustinebat *panem*, *vinum* & *thus*.

Ad mensae sacrae demonstrandum mysterium nonnihil in antecessum concedi postulatur.

XXIX. Quo autem in harum rerum typo enucleando viam ad solidam demonstrationem muniamus, ista nobis dari *Postulata* velimus, quorum aequitatem summam agnoscant omnes, quotquot Dei sapientiam sanctitatemque in his δικαιώμασι λατρείας conspicuam mecum suspiciunt, colunt, venerantur.

POSTULATUM I. Ut liceat in typorum numero ponere eas res, quas tales esse Scriptura sacra exserte declarat quidem, speciatim tamen ac data opera illarum πνευματικὴν δήλωσιν non evolvit (Heb. IX. 5.) harumque adeo rationem typicam investigare congruenter naturae earundem rerum corporearum, quae praeeuntibus hinc inde sanctis Dei hominibus, sunt emblemata rerum spiritualium, propter attributa, quae illis rebus prae aliis insunt, efficiuntque, ut illae hujus praesertim, non alterius rei, typi dicantur.

POSTULATUM II. Typum hac via & ratione inventum secundum illam relationem, quam obtinet ad aliquem rerum significatarum ordinem seriemque, cujus pars est, non seorsim & abstracte ab aliis, exponere atque elucidare par sit.

POSTULATUM III. Propter quod aliquid est, quod rei sive instrumenti ceremonialis & typici partem facit, illud eo magis, ac tantum non solum, typi rationem habeat.

Plane enim cum Abarbanele sentio in 1. Reg. VII. *non esse mysteria quaerenda in singulis rebus Sanctuarii particularibus, cum earum plurimae existant, quibus carere ipsum opus & structura* (addo, *& ministrandi ratio*) *nequeat.* Quocirca nec in structura & ornamentis ipsius mensae, nec in vasis horumve numero & mensura (nisi quantum ob materiam & artificium, ut reliqua omnis Sancti supellex, praeter usum quem habent, insuper ad ostentandam magnificentiam faciunt) sed in horum usu, id est, re cibaria, cujus sustinendae & continendae causa mensa & vasa ejus constrvi ex lege debuerunt, illustriorum rerum signa ac vestigia requirimus: hoc quidem consilio, ne ludibrium nostro merito debeamus severioribus illarum rerum censoribus, quum praeter mentem & in-

ten-

tentionem Spiritus sancti in Scripturis loquentis quidlibet extundimus ex quolibet. Sic passim videas scutulas, acerras, libatoria, quin imo *calamos* (mirum, ni etiam *stipites*!) commentum Pharisaicum, de quo supra §. 12. in typi mensalis parte poni a nonnullis, qui numerant typos, non ponderant.

XXX. His praemissis secure statuimus, mensam cum rebus ei impositis referre EPULUM SPIRITUALE, QUOD ELECTIS NOVI TESTAMENTI PER CHRISTUM PARATUM EST AD SALUTEM. Sane vero mensa inter instrumenta Sancti nominatur: quae cum reliquo istius cultus apparatu sunt *umbra futurorum bonorum* Hebr. IX. 2. X. 1. Atque exstantiora bona Novi Testamenti passim in monumentis Prophetarum emblemate opiparorum obsoniorum, vini odorumque & thuris veniunt Psal. XXIII. 5. Prov. IX. 2. 5. Jes. XXV. 6. LV. 1. LX. 6. Auro rutilans ac pluribus ornamentis aucta, cum vasis ejus etiam aureis, regiam Christi per passiones consummati atque salutem fidelibus applicando opus mediatorium promoventis dignitatem notat, quam electi non modo ab ipso consequuntur, sed cum eo etiam exercent Apoc. I. 6. coll. cum Luc. XXII. 29. 30. Hinc *amici* ejus Joh. XV. 13. 15. imo *fratres* audiunt Matth. XII. 50. Est enim, quemadmodum Chrysostomus, τὸ κοινωνεῖν τῆς τραπέζης φιλίας ἀφορμὴ καὶ σύμβολον. Mensa tamen erat propter dapes illi impositas, eoque hae potiorem rationem typi obtinent, per *Postulatum* 3. *Mensa quid connotavit.*

XXXI. Cibum praebuit panis; pro potu vinum adfuit: οἷς ἀνάγκη χρῆσθαι τὰ τῆς τροφῆς δεόμενα, ut Philo. Thus additum. Haec Deo offerebantur; nec tamen illa consumebat vel iis fruebatur. manifesto indicio signa illa esse alterius rei, qua Deus gaudet. Christus est *panis vitae*, *quo si quis vescitur*, *vivit in aeternum*, hoc est, *caro ejus*, *quam tradidit pro vita mundi* Joh. VI. 51. Is est לחם פנים *panis faciei* Deo acceptus, quem adspicit & in quo acquiescit, tanquam *vero cibo* fidelibus parato Joh. VI. 55. *Quid panis.*

Pa-

Panis ergo in mensa Sanctuarii expositus adumbravit gratiam, quam Christus sua morte electis promeruit. Analogia est evidens.

1. *Panis fulcit cor hominis.* Psal. CIV. 15. estque in eo vis praecipua nutriendi corpus nostrum.

Christi meritum est unica causa omnis vitae ac benedictionis spiritualis, quum *factus est nobis justitia & sanctificatio* 1. Cor. I. 30.

2. Panis famem non levat, nec alimento est, nisi comestus cum corpore uniatur inque ejus materiam transeat.

Nisi ad Christum venimus eumque fide apprehendimus, non expletur fames spiritualis nostra, nec vita restitui, augeri & conservari potest Joh. VI. 55.

3. Duodecim placentae respondebant totidem tribubus, tanquam veteris populi universitati Apoc. VII. 4.

Gratia, quam Dei filius promeruit, in omnes electos, qua late Ecclesiae pomoeria proferuntur, ad satietatem redundat Jes. XLV. 22.

Quid vinum.

XXXII. Pani junctum erat vinum: potus loco, quo carere epulum veri nominis non potest. Sic cuncta alimenta, quibus opus est ad tolerandam hanc vitam, in sacris literis designantur *pane & vino.* Quae haud dubie ratio est, quamobrem Christus sub Novo Testamento suum meritum, quo aeternae vitae ac laetitiae nobis auctor est, duobus, non pluribus, hisque simplicissimis & maxime nutritoriis signis externis, pane & vino, in sacra Coena exhibere & obsignare voluit. Sicuti autem panis in mensa Sanctuarii collocatus, praesertim ob saturandi vim, Christi Sponsoris depinxit meritum; ita vinum propter exhilarandi virtutem cum satietate conjunctam ex eaque resultantem figura fuit operationum Spiritus sancti, qui est donum fidelibus elargitum post & propter gratiam in Christo factam. Convenientia est multiplex.

1. Cibus comestus absque potu corpori minus prodest. Ergo

Gratia per Christum parta inutilis foret, nisi redemtis ap-

Ergo praeter panem vinum apponi in mensa aequum fuit.

vitae aeternae, cujus 1. Pet. I. 3. 6. 8.

2. Vinum pungit propter subtilitatem & acrimoniam partium, quibus constat, sanguinemque sic ardore accendit, ut homines corroboret reddatque ad rem gerendam, imo ad pericula adeunda imperterritos.

3. *Vinum exhilarat cor hominis* Psal. CIV. 15. Zach. X. 7. & curas pellit Prov. XXXI. 6. 7.

ad tranquillitatem 25-34. XI. 28.

4. Foecundi calices disertos faciunt.

propria, connumeratur facultas de rebus spiritualibus, optato rerum exitu, denique de mysteriis fidei ac viis Dei palam, intrepide fidenterque disserendi Jes. XXXII. 4. XXXV. 6. Tum *frumentum juvenes & mustum facundas redditurum est virgines*, Zach. IX. 17.

applicetur per Spiritum, qui ipsos certiores reddat de remissione peccatorum ac spe sensum in fidelibus excitat

Spiritus sanctus in credentibus operatur fervidissimum zelum in confessione fidei traditae semel sanctis, imo motus plane heroïcos, adeo ut mortem perpeti ad veritatem confirmandam parati sint Apoc. XII. 11.

Gaudium in spiritu est potus regni Dei sub Novo Foedere Rom. XIV. 17. ut curis non sit locus, sed animae fidelium componantur Matth. VI.

Qui credit, loquitur 2. Cor IV. 13. & inter Spiritus S. dona, Novo Testam.

XXXIII. Ac nequid denique huic epulo ad summam voluptatem & opulentiam deesset, convivalis oblectamenti loco thus purum apponi in cumulum Deus voluit. Thuris proventu celebrata erat propinqua Sabaeorum regio; unde evecta a nundinatoribus inter merces ingentis pretii divendebatur Jes. LX 6. Apoc. XVIII. 13. In vicino altari incensum quidem propter odorem fragrantissimum ac fumum sursum abeuntem, figura erat precum & spei fi- *Quid thus.*

delium, animi desiderium per suspiria in coelum mittentis Psal. CXLI. 2. Apoc. V. 8. Putamus tamen hic aliam illius relationem ad epulantes aliasque proprietates & effecta spectanda esse, per *Postulatum 2.* Cui accedit, quod Judaeorum Magistri thus illud non super mensa in Sancto, sed foris super altari incensum & crematum scisant. Nimirum observant Physici, post cibum assumtum si granum thuris unum atque alterum deglutiatur, prohibere fumos ac vapores noxios ascendere in caput, atque adeo sanitati plurimum conducere. Igitur hoc thure significatum fuit, nihil non salubre, nihil non eximium lautumque ab spirituali isthoc convivio electis exspectandum esse.

Doctrinae N. Confirmatio, a. Ex verbo Dei.

XXXIV. Atque isthoc convivio excepta est Ecclesia Novi Foederis per Christum id parantem fidelibus: convocatis initio intra pomoeria Judaeis & Gentibus. Et excipietur porro illustriorem in modum, quod ad bona externa, puta pacem ab hostibus & amplitudinem, quum occupaverit mundi hereditatem. Quare is status Ecclesiae longe auspicatissimus cum quodam respectu ad hujus, de qua dicimus, mensae apparatum, cum *mensa* sive *convivio* vel *coena* comparatur, propter exuberantia gratiae bona in illa conspicua, in quibus exaggerandis multus est Spiritus S. Apostolus ad summa capita reducit, IUSTITIAM, PACEM & GAUDIUM *in Spiritu sancto* Rom. XIV. 17. oppositе ad Oeconomiam veterem, quae externis rebus, velut *cibo & potu*, pascebatur. Fideles enim veteres utut ex fide cum Abrahamo justificati sunt, non tamen eorum justificatio pervenit ad eum gradum, qui est in Nov. Test. in quo demum *manifesta facta* dicitur Rom. III. 21. & quidem χωρὶς νόμου *sine lege.* Illa fuit justitia Sponsoris consummandi & adducenda; haec est consummati & adducta. Porro *pacem* inter regni Dei ponit privilegia. Pacem videlicet cum *Deo* pariter ac *mundo*, per quam gentes factae sunt *concives sanctorum ac domestici Dei* Ephes. II. 19. Estque effectus justitiae Christi, sive reconciliationis, qua Deus *mundum sibi reconciliavit in Christo* 2. Cor. V. 19. Hinc nasci-

tur

tur *gaudium* in Spiritu sancto, effuso in corda fidelium velut arrhabone, nec ex mensura dato, ut olim, sed ad *fluentorum* instar Jes XLIV. 3. qui denique sit spiritus *filiationis*, non *servitutis*. Operatur enim in nobis per verbum Evangelii fidem reconciliationis & παῤῥησίαν & amorem Dei omniumque virtutum ejus. Atque ista summa est bonorum regni Dei spiritualis sub Nov. Test. quae commendantur praeterea ab eorum perpetuitate Jes. LIV. 10. haud secus ac vinum & thus, & praesertim panis, a mensa Sanctuarii nullo unquam tempore abesse debebant. Hinc mensae emblemate veniunt Psal. XXIII. 5. *Instruis coram me mensam: delibutum reddis unguento caput meum, poculum meum exuberans.* Hae sunt *pinguedines domus Dei, quibus ubertim* fideles *explentur: & torrens deliciarum, de quo ipsis bibendum datur* Psal. XXXVI. 9. Summa sapientia ad epulum invitat: *Venite, vescimini pane meo, & bibite de vino, quod miscui.* Prov. IX. 5. Sed propius ac magis exserte id convivii emblema ad Ecclesiam Nov. Test. transtulit Jesaias XXV. 6. & omnium luculentissime Christus, proposita parabola de quodam parante *coenam magnam* Luc. XIV. 16-24.

XXXV. Haeserunt vetustae hujus doctrinae reliquiae animis progeniei Hebraeorum veterum degeneris. Dicimus reliquias & rara vestigia tantum. Nam cum majores ipsorum Prophetis novissimis coaevi omnem Sancti supellectilem ad rerum spiritualium significationem revocarent, illi contra quasi glebae adscripti aliarum quidem & majorum rerum parva in tabella hic exhiberi χῆμα existimarunt; sed tamen ex animi sententia ultra sphaeram rerum mundanarum ac naturalium, coelestium aeque ac terrestrium, quae ad hominem relationem habent eique sunt usui, adsurgunt minime. Id quod pluribus exemplis comprobare pronum foret, si id nunc ageretur. Interea tamen priscae, verioris & intemeratae καθηχήσεως faciem habitumque vel inviti ob oculos ponunt. Sic de sensu lychnuchi ac mensae vetus inter eos verbum est: הרוצה להתחכם ירים הרוצה להתעשר יצפין *Qui vult sapiens fieri, deflectat ad austrum*, ubi lychnuchus: qui

β. Ex veterum κατηχήσει.

qui vult diteſcere, ad boream, ubi menſa poſita fuit in Sancto. Sed his auctor libri Coſri ex ſuorum popularium placito praefatur: והשלחן להדבק בו הטובות הגופיות *Menſa vero eo faciebat, ut ei adhaererent bona corporalia*, Part. II. §. 26. Quicum facit R. Bechai in ביאור על התורה fol. 103. col. 2. *Edit. Venet.* ex Cabbaliſtarum ſcito ad hunc modum menſae myſterium exponens: וכן אמרו ז"ל השלחן סימן לכתר מלכות וכלל הענין כי משם תבוא הפרנסה לכלכל העולם בעליונים ובשפלים כי היא חמודה הנותנת טרף לביתה וחק לנערותיה *Tradunt majores noſtri, menſam reſpondere Coronae Regiae; inde enim redundare alimoniam in mundum ſuſtentandum bonis ſupernis ac infernis: quandoquidem illa Dei virtus & proprietas eſt, quae* dat eſcam domui ſuae, & penſum puellis ſuis Prov. XXXI. 15.

ב. *Uſus Ad pietatem.*

XXXVI. Sed melius de hujus epuli myſterio & praeſtantia edocti ſumus, quotquot melioris Oeconomiae Dei aevum vivimus atque *regii ſacerdotii* ſub Nov. Teſt. partem facere praenobis ferimus. O ſi tam Chriſtum *panem vitae* appeteremus! inque bonorum ejus fruitione unice noſtram felicitatem poneremus! Utinam non contriſtaremus Spiritum, quo obſignari nos neceſſe eſt in diem redemtionis! Ingens eſt eorum numerus, qui immerſi hujus ſeculi coeno, *agrorum curam* & quid non? ſpirituali coenae in Evangelio propoſitae anteferre non dubitant. Quid vero magis aequum eſt iis, qui hoc excipi convivio cupiunt, quam ut tales ſe praeſtent, quales eſſe convivas decet? hoc eſt, ut Chriſto per fidem inſerantur, ſine qua fieri non poteſt, ut quis Deo placeat, omnique adeo virtutum Chriſtianarum choro ſint conſpicui. Illa demum veſtis convivalis eſt, quae dignos hac menſa hoſpites reddit. Illa manus eſt & os, quibus cibum pro animabus noſtris arripimus & comedimus. Atqui α. hoc poſtulat illius dignitas humanitasque, qui epulum paravit, nosque ut ſecum ei accumbamus, invitat in verbo Evangelii, blanda amicorum compellatione. Nam ſponſi illa vox eſt Cant. V. 1. *Vescimini, amici: bibite, & inebriamini, dilecti.* β. Spirituales dapes ab ipſo electis paratae oblataeque, puta juſtitia ejus & hinc reſultans pax & gaudium, etiamnum proſtant ac patent jugiter. Quis tantam ſalutem negligat? γ. Qui ſpreverit has divitias, *ejicietur foras, ubi ejulatus & ſtridor dentium* Matth. XXII. 13.

Ter felices autem nos, ubi convivae ſumus in regno Dei! Non eſuriemus in aeternum, ubi *comederimus bonum ac delicietur in pinguedine anima noſtra.* Curis ſoluti impenſe laetabimur: quod gaudium nemo a nobis auferet. Quid? quod poſt hanc vitam apud Chriſtum comeſturi ſimus manna abſconditum, novumque germen vitis bibituri cum ipſo in regno Patris ejus.

AMEN.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn863023312/phys_0044
DFG

1. Neuhaus de Fatis Adami.
2. Holtzius de Homine.
3. Idem de imagine Dei in hoe.
4. Hottinger de auxilio Dei et.
5. Hugenius de Concursu Dei.
6. Cauterius de Providentia Dei
7. Holtzius de Providentia
8. Gyurk de Lapsu primorum hominum.
9. Gyurk de Angelis bonis et malis.
10. Tillemannus de Certitudine fidei.
11. Useel de Decalogo.
12. Haseus de tribus scitu necessariis.
13. Gyurk Continuão.
14. Marcovius de curiosa Theologia.
15. Schmidius de Utilitate Relig: Evangel:
16. Mieg de Gratiae div: progressu.
17. Jablonski de indulgentiis.
18. Zulfinger de natura Studii Thetici.
19. Holtzius de Poenitentia
20 Gyurk de conversione.

Chemnitius de gratuita Iustificaõe.
Mosheim Triga Observaõum.
Mosheim de paupertate mentis
Giurd de operariis in vinea.
Kirchmeier de Baptismo Ignis.
Petersen de ybo Sabactani.
Kirchmeier de negotio Salutis circa infantes.
Meier ad Locum Luc: 23.
Lampe de Titulo Evangel: Iohannis.
Pinus de aqua baptismi.
Caesenig de Encaniis Iudaeorum.
Osnerg de Lege Mosis per angelos data.
Van Alphen de Historia Pauli Apostoli.
Caessen de Barnaba, etc.
Van Sanden de Deo suscitante Xtum ex mortuis.
~~Sviceri~~ Becmanni Analysis Cap: 9. ad Rnos.
Baier ad Locum ad Rnos XII. 42.
Lampe de Ecclesia Apostolica.
Ventzki de Stella ex Iacob.
Hottinger de Benedictione Sacerdotali.
Jungst de Blasphemi mysterio.
Pau de Libamine in mensa Sacra.
Hottinger de fertis infermentatis

49. Diss: de Lectione Legis Solenni.
50. Elsnerus ~~de ritu sed~~ ad Reg: 18.
51. Marck ~~de~~ ad 2 Reg: 8. 10.
52.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863023312/phys_0047
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863023312/phys_0050
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn863023312/phys_0054
DFG

ſponſionem Eliſæ, ſcribit *Gaſpar Sanctius*; atque
ulianus, quid quæſo eſt mentiri, ſi hoc non eſt? quid
rum ad peccandum, ſi Hazaelem Propheta non
endum omnino eſt, quædam adeo conquiſita
heic reperiri, ut attendentibus nullo modo pla-
ere queant. Quale quid eſt, quod ex *Jarchio*
Lyranus, dictum hoc eſſe *de Chazaele, vivens*
s poſt eum; ſed quod & ipſe monuit *eſſe expo-*
extortam. Uti revera eſt, quando hæc verba,
non dicuntur ab Eliſa ad Chazaelem, ſed præ-
da à Chazaele ad Benhadadum per illud præ-
dic illi &c. Quod ſi autem volueris, hoc po-
im dici victurum in ſuo ſucceſſore Chazaele,
acies obſcurum & vere ludicrum verborum ho-
prorſus alienum à rogatione inſtituta quæ ſpe-
adi ægri perſonalem vitam ac ſanitatem. Quale
, quod tertio loco reperio apud *Doct. Marty-*
de occurrit interpretatio, qua ſtatuitur, Eliſæum
is, verum de æterna ac beata quam exſpectamus
reſpondiſſe. Eamque promiſiſſe arbitrantur Vatem
fuerit ad verum Deum Jehovam ex animo con-
eo probant, quod non idola conſuluerit, ſed quem-
tradit, ipſum Jehovam, deinde miniſterio Viri
d id, non Pſeudoprophetarum. Uti perinde hoc
r. Pellicanus; *Eliſeus remandat regi, quæ illum*
conſolari, fortaſſis jam converſum ad veri Dei ti-
, quem à Propheta ſancto cupit illi propitium fieri.
utura requirit, non à ſuis idolis nec auruſpicibus, ſed
s ſæpe magnalia audierat, & cujus Deum fuerat
& à Naaman inſtructus in fide veri Dei. Ideo nunc
rum, hoc eſt, in fidelium animarum conſortium per-
im Propheta intelligebat, hoc denique regi ſummo-
rat. Tamen ipſi Aſaeli ſignificat moriturum re-
pſe locum ſit inſtituendus; non quidem addens,
rum eſſet, ſed ſuo tempore. Qui tamen deinde
ſi horum oblitus dicit, *per morbum diutius vi-*
ndum Propheta dictum. Adverſus iſtam ſenten-
e diſputavit *Martyr*; *Cæterum, non eſt veri-*